

nus peccatum reservatum inaudiens hæret anceps, nesciens quid sit faciendum. Etenim, si virum absolutione vacuum dimittat, hic, forte animo dejectus, alium Confessarium non adibit. Timet insuper, ne hominem hunc barbaturum offensum habeat. Attamen, jubente conscientia, declarat se facultate ad absolvendum a tanto peccato destitui, et alium Confessarium majori potestate pollentem adeundum esse. Tum COCLES: « Mehercule! ait indignabundus, quis rem adeo singularem vidit unquam? » « Quare igitur te in aperta officina constituis, si instrumentis ad operandum necessariis cares? » — RUFINUS autem, ne militem a confessione deterreat, eum *indirecte* a reservato absolvit et dimittit.

HINC :

QUER. 1<sup>o</sup> *Quomodo agere debeat Confessarius simplex dum peccatum aliquod reservatum in confessione audit*

2<sup>o</sup> *An COCLES a RUFINO Confessario absolvi poterit?*

SOLUTIO :

609. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* Unum e duobus Confessario eligendum est, scilicet : 1<sup>o</sup> ut remittat pœnitentem ad Superiorem, aut ad alium pro reservatis approbatum; 2<sup>o</sup> vel ut ipse a Superiore petat facultatem absolventi a tali casu reservato, tacitis circumstantiis quibuslibet, ex quibus pœnitens manifestari posset. Plerumque magis expedit, si ipse Confessarius licentiam absolventi petat. Ita nunc *sat communiter* sentiunt Theologi, ob periculum ne pœnitens alium adire non audeat. *Busemb.* apud *S. Lig. n. 584.* — *Gousset, n. 484.* — *Billuart, diss. 6, art. 6, § 3, Petes 5<sup>o</sup>,* ubi sic ait :

« Confessarius moneat statim pœnitentem de casu reservato et quærat ab eo num velit adire superiorem vel delegatum, aut peti a Superiore facultatem absolventi. Si hoc ultimum, quærat ab eo num habeat adhuc alia reservata, ne imminuta et insufficiens facultas obtineatur. Si respondeat pœnitens, ut solitum est, se ignorare quæ sint reservata, Confessarius vel ea illi exponat, vel petat num velit ipsi aperire integrum statum conscientiæ, non tam per modum confessionis sacramentalis, quam ut cognoscat quid pro ipsius bono debeat exponere, vel petere a Superiore. »

610. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ. Neg.* Nulla enim ratio gravis urgebat, ut ex casu apparet. Debuisset igitur Confessarius peramanter pœnitentem inducere ad redeundum alia die determinata, et interea pro eo obtinere a Superiore facultatem ab illo reservato absolventi. Licet enim ad hoc *per se* non teneatur Confessarius, ex caritate tamen aliquando pro bono pœnitentis id præstare debet. Erravit etiam RUFINUS militem *indirecte* absolvendo, quin ei imponeret obligationem alium Confessarium adeundi. Si miles autem absque mora proficisci deberet in alium locum, vel non facile ad RUFINUM revertere posset, *indirecte* a reservato, et *directe* ab aliis peccatis, absolvendus esset, eo tamen monito ut, data opportuna occasione, Superiorem vel delegatum ad reservata adiret (1).

(1) In variis locis, Episcopi dant omnibus Confessariis facultatem milites a reservatis absolventi.

## CASUS XIV.

ABSOLUTIO COMPLICIS 1<sup>o</sup>.

1<sup>o</sup> TITIANUS, Sacerdos, data lubrica occasione, in peccatum grave contra sextum Decalogi præceptum cum ANNA infelici casu lapsus est. Mox utrumque complicem hujus turpis noxæ pœnituit. Cum non esset ibi præsens alius Sacerdos, TITIANUS statim alium locum adit confitendi gratia. ANNA vero, aliqua infirmitate detenta, alium Confessarium adire nequivit. Igitur tristis et mœrens TITIANUM enixe rogat, ut suam confessionem excipiat. Hic dubius et anceps primum hæret : ex una parte cohibetur lege Ecclesiæ complicem absolvere prohibentis; sed ex alia parte opitulari vellet miseræ mulieri, quæ secus diu Confessario carebit. Tandem, misericordia motus, ANNAM in confessione audit et absolvit, ratus prohibitionem Ecclesiæ in hoc arduo casu non urgere.

2<sup>o</sup> CALLIXTUS, Sacerdos, peccato turpi cum JULIA patrato, complicis confessionem excipit quidem, sed absolutionem ei non concedit. Dubitat autem postea, utrum excommunicationem incurrerit.

HINC :

QUER. 1<sup>o</sup> *An aliquando Sacerdos complicem in peccato turpi absolvere possit, quin excommunicationem incurrat?*

2<sup>o</sup> *An valida sit absolutio saltem aliorum peccatorum, si pœnitens fuerit in bona fide, ut fit quoties de aliis peccatis reservatis agitur?*

3<sup>o</sup> *An incurrat excommunicationem Sacerdos complex, qui confessionem audit, non tamen absolvit?*

4<sup>o</sup> *Quid ad utrumque casum?*

SOLUTIO :

611. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* Nullus Sacerdos absolvere potest complicem suum in peccato turpi graviter culpabili, et hoc sub pœna excommunicationis, nisi *in casu extremæ necessitatis*, seu *in articulo mortis*. Sed etiam in eo casu non permittitur Sacerdoti absolvere complicem, nisi deficiat quicumque alius etiam simplex Sacerdos qui absolutionem imperitari possit. Constat ex Bulla *Benedicti XIV, Apostolici muneris*, in qua dicitur : « Prohibemus ne aliquis (Sacerdos), extra casum *extremæ necessitatis*, nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quoque cumque alio Sacerdote qui Confessarii munus obire possit, confessionem sacramentalem personæ complicis in peccato turpi atque in hoc nesto, contra sextum Decalogi præceptum commisso, excipere audeat, *ita ut absolutio nulla et irrita omnino sit, etc...* »

Excipitur tamen casus in quo alius Sacerdos vocari non possit sine infamia, vel scandalo. At Sacerdos complex talia pericula infamiæ vel scandali avertere debet, si possit, sub eadem pœna excommunicationis, licet tunc valide absolveret, si non averteret. Sic, ex eadem Bulla. *V. S. Lig. n. 553.*

612. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quærs. Neg.* Sacerdos enim complex totaliter destituitur jurisdictione in complicem, usquedum hic ab alio semel absolutus fuerit; ita ut invalida sit prorsus absolutio ab ipso impertita, non solum quoad peccatum cujus fuit particeps, sed etiam quoad cætera peccata quorum in eadem confessione se accusat. Infertur ex verbis expressis ejusdem Bullæ *Benedicti XIV*, ubi dicitur: *Sacerdotem complicem privari omni jurisdictione ad socium criminis absolvendum, « ita ut absolutio nulla « atque irrita omnino sit, tanquam impertita a Sacerdote qui jurisdictione « et facultate ad valide absolvendum necessaria privatus existit. » S. Lig. n. 555. — V. Comp. n. 584.*

613. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quærs.* Negandum videtur cum *S. Lig. n. 556*. Infertur ex Bulla *Benedicti XIV, Inter præteritos*, ubi dicitur: *incurrere excommunicationem Sacerdotem qui complicis confessionem excipit, eumque absolvit.* Ergo, ex mente Pontificis, non sufficit confessio, sed requiritur absolutio, ad censuram incurrendam. *V. Comp. n. 588.*

614. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quærs.* 1<sup>o</sup> Quoad *primum casum*: *TITIANUS* invalide prorsus *ANNAM* complicem absolvit, quippe qui jurisdictione in eam totaliter carebat. Neque cessavit lex in eo casu, quia lex irritans non cessat ob incommodum quodcumque particulare, ut fusius dicitur in casu sequenti. Ex ipso jure solus *extremæ necessitatis* casus excipitur. *S. Lig. ibidem.* Proinde *TITIANUS* incurrit excommunicationem, nisi bona fide ab ea excusatus fuerit. *ANNAM* vero monere debet absolutionem, a se impertitam, nullam ac irritam esse, ut illa apud alium confessionem iteret.

2<sup>o</sup> Quoad *secundum casum*: *CALLIXTUS* nullam incurrit excommunicationem, scilicet audiendo quidem confessionem complicis, sed eam non absolvendo. Sequitur ex dictis. Illicite autem egit inutiliter audiendo absque facultate confessionem, quæ ad absolutionem tantum ordinatur.

## CASUS XV.

ABSOLUTIO COMPLICIS 2<sup>o</sup>.

*HERMODORUS*, Parochus, *ROSALIAM* complicem suam moribundam absolvit, his rationibus inductus: 1<sup>o</sup> quia facultate gaudet ab omnibus reservatis absolvendi; 2<sup>o</sup> quia in mortis articulo cessat omnis reservatio; 3<sup>o</sup> quia non adest præsens alius Sacerdos, nisi junior Vicarius, cui sane scandalum ingens creabitur; vel etiam neo-Sacerdos non adhuc approbatus, qui admirationem in populo moveret, si *ROSALIE* confessionem audiret.

HINC :

QUÆR. *An HERMODORUS complicem suam absolvere potuerit, seu, an valeant rationes ab eo allatæ?*

SOLUTIO :

615. — *R. ad Quærs.* Nihil prorsus valent pleræque rationes, quas *HERMODORUS* affert ad *ROSALIAM*, complicem suam, in articulo mortis absolvendam.

1<sup>o</sup> Non refert quod gaudeat facultate absolvendi a casibus reservatis, quia non agitur de casu reservato pœnitentem solummodo respiciente, sed Confessarium ipsum attingente in ipsius criminis pœnam, et de totali privatione jurisdictionis in pœnitentem, peccati sociam.

2<sup>o</sup> Nec refert quod Sacerdos præsens sit junior, aut nondum approbatus, quia ex lege ille alius Sacerdos præferendus est, quicumque sit, etiam non approbatus, suspensus, etc.

3<sup>o</sup> Nec refert quod nulla sit reservatio in mortis articulo, quia ibi expressa lege prohibetur absolvere etiam in morte sub pœna excommunicationis, si alius Sacerdos reperiri possit.

Sola valeret ratio scandali in extrema necessitate, si vera foret. Sed, cum *HERMODORUS* tot varios prætextus jam excogitaverit, facile præsumi potest hanc ultimam rationem futilem prorsus et vanam esse. Numquid discedere non potuisset ad breve tempus, ut interea alius Sacerdos advocaretur? Numquid junior Vicarius, vel alius non potuisset adire ægotam, sub prætextu caritatis vel urbanitatis, eamque audire et absolvere, ignorante populo? Sane, si ratio infamiæ vel scandali non fuerit vera et gravis, *HERMODORUS* pœnam excommunicationis minime effugit. Si homines decipi possint, Deus non decipitur unquam. *Deus enim non irridetur. Galat. 6. 7.*

## CASUS XVI.

ABSOLUTIO COMPLICIS 3<sup>o</sup>.

*DIDYMUS*, Sacerdos, tempore noctis, laicali veste indutus incidit in *EULALIAM*, quacum turpe peccatum patrare non dubitat. Postridie mane, *EULALIA* *DIDYMU* adit, eique confitetur de peccato, nocte præcedenti cum viro sibi prorsus ignoto infelicitate commisso. Ex omnibus adjunctis clare intelligit *DIDYMU*, mulierem hanc esse complicem suam. Quid igitur faciet miser? Quantæ tunc ejus angustiae! Si id sciret pœnitens, præ dolore exclamaret: *Tu es ille vir!*... Sed nescit illa; nec *DIDYMU* se manifestare audet. Insuper, prætextu caret ad absolutionem denegandam. Quid faciet igitur? absolvit anxius, et postea inquit de absolutionis validitate.

HINC :

QUÆR. *An DIDYMU valide EULALIAM absolverit?*

SOLUTIO :

616. — *R. ad Quærs. Neg. prorsus.* Complex enim complicem absolvere nequit, nisi in casu *extremæ necessitatis*, seu in ipso mortis articulo. Quid igitur est quod effutis, o *DIDYME*, ad te excusandum, tu qui scienter contra legem Ecclesiæ complicem tuam absolvisti? Sic infelicitate argumentaris ad probandum dari locum *epikeiæ* in hoc tuo casu: « Si unquam, ais, age re licet ex *epikeia* contra legem, sane licitum est ubi legis adimpletio nimis ardua foret. Atqui *EULALIAM* sine absolutione dimittere, ut lege Benedictina præscribitur, est nimis arduum. Ergo... Porro quid acerbius quam Sacerdotem adigere ad se diffamandum, aut certe diffamationis

« periculum subeundum? Ergo, in specie casus, lex Benedictina corruiere debet, ut epikeiæ locum relinquat. Credibile enim non est, Pontificem « voluisse legem urgere cum tanto incommodo Confessarii et pœnitentis. »

Ast, o DIDYME, hæc audire et admittere nequeo. Valerent forsitan tuæ rationes, si lex tantum prohibens foret, quia, ex axiomate recepto, *lex jubens aut prohibens non obligat cum gravissimo incommodo*. Sed quatenus *irritans* corruiere nequit, quia hujusmodi lex nunquam cessat propter incommodum particulare privatorum, quantumcumque sit. *V. Comp. t. 1, de Legibus, n. 136.*

Porro lex Benedictina non est *simpliciter prohibens* ne Sacerdos complicem suam absolvat, sed ipso facto irritat actum quem vetat, et efficit Sacerdotem prorsus inhabilem ad sociam criminis absolvendam. Ergo Sacerdos nunquam criminis complicem absolvere potest, nisi in eo solo casu qui in jure ipso excipitur, seu in mortis articulo. *Ituriaga, t. 6, cas. 53.*

617. — *Objicies*: Inhabilitas ad absolvendum inducta est ea conditione, ut in casu maximæ difficultatis, seu necessitatis moralis, cessare posset.

*Respondeo* cum eximio Doctore Suarez (*de Legibus, lib. v, cap. 23, n. 3*): « Est veluti contra naturam inhabilitatis absolutæ et sine restrictione inductæ, et contra morem legum inhabilitatem *simpliciter* inducentium, quæ interpretationem ex æquo et bono non suscipiunt: quia lex *irritans* actus non attendit ad casus et rationes particulares, sed præcise ad rationem communem et uniformitatem, ad bonum et utilitatem communem, necessariam. » Ergo lex irritans nunquam cessare censetur in casu particulari, nisi legislator expresse illum exceperit. Atqui legislator non exceperit, nisi casum mortis. Ergo...

618. — *Objicies iterum*: Lex Benedictina permittit Sacerdoti absolvere complicem in articulo mortis, quando, negata absolute, periculum incurreret infamiæ: quidni ergo etiam extra mortis periculum, si fama periclitatur?

*Respondeo*: Exceptio firmat regulam. Periculum famæ jus tribuit absolventi in morte, non alio casu. Neque id mirum tibi videbitur, si attendas quantum distet infamia in mortis periculo ab infamia in alio casu: prior enim esset infamia Sacerdotis et pœnitentis coram aliis, et moribundum periculo damnationis exponeret; secus vero de posteriori. Insuper in positivis, et præsertim ubi de lege irritante agitur, de casu ad casum non est urgendum. *Ituriaga, ibid.*

Cæterum in hujusmodi rerum adjunctis nonne posset Sacerdos dimittere mulierem quin se ei manifestaret, dicendo, v. g., peccatum illud esse reservatum, nec se habere facultatem ab eo absolvendi?

## CASUS XVII.

## ABSOLUTIO COMPLICIS 4º.

1º LÆLIUS, confessiones excipiendo, mulierem audit se de peccato turpi, cum Sacerdote patrato, accusantem. Hæret dubius, sciens se nuperrime,

noctis tempore, peccasse cum muliere vocem fere similem habente. Non audet tamen dubium suum aperire, ideoque complicem absolvit.

2º NARCISSUS, Sacerdos simplex, excipit confessionem LEONIE quæcum libidinem explere tentaverat, ipsa exterius reluctante, interius tamen consentiente. Paucis post diebus LEONIA ipsum petit ut confiteatur, peccatumque internum manifestat. Nescit vero NARCISSUS an eam absolvere queat, et tandem beneficium absolutionis ei tribuit.

HINC:

QUÆR. 1º An LÆLIUS valide absolverit in primo casu?

2º An NARCISSUS in casu secundo?

SOLUTIO:

619. — *R. ad 1º Quærs.* Quid iudicii? Differt casus præsens a præcedenti, ex hoc quod in illo Sacerdos certo jurisdictione carebat, in præsentem vero res velut dubia habetur. Hinc tibi in solutione major difficultas. Quid igitur iudicii? Confessarius caute interrogare debuit, ut ex variis circumstantiis dubium dilueret: v. g. an a longo vel parvo tempore; an mulier sollicitata fuerit; an statim consensum dederit, vel quid præcesserit. Quod si ex his rerum adjunctis dubium evanuerit, jam patet quid fuerit LÆLIO agendum. An vero, perseverante dubio, mulierem absolvere potuerit? Affirmandum videtur, quia durum est valde, imo durissimum, Sacerdotem adigere ad se prodendum, et turpitudinem suam manifestandam cum ingenti honoris jactura. Nec præsumendum est prudentem legislatorem voluisse reum jurisdictione privare cum tanto dubio circa rem ex una parte, et tanto famæ detrimento ex altera. Igitur casus præsens recidere videtur in quæstionem jurisdictionis dubiæ, in qua, stante gravi causa, probabilius absolvere licet. *Ituriaga, t. 6, cas. 3.*

620. — *R. ad 2º Quærs.* NARCISSUS valide LEONIAM absolvit, quia in casu deficit complicitas, seu communis participatio in eodem crimine externe patrato. Etenim non satis est, si duo in eundem actum venereum consentiant, ut adsit complicitas quæ Sacerdotem jurisdictione in pœnitentem privet; sed ulterius requiritur ut consentientes aliquo signo externo sibi invicem consensum aperiant et mutuam faciant. Atqui in casu nostro LEONIA in peccato NARCISSI actu externo minime consensit, sed constanter et fortiter restitit; ergo defuit consensio ad veram complicitatem requisita. Ergo NARCISSUS LEONIAM absolvendo, licet noverit peccatum ejus internum, excommunicationem non incurrit, et valide mulierem absolvit. Sed LEONIA omnino imprudenter egit, hunc Sacerdotem adeundo confitendi gratia, nisi alium reperire non potuerit. Verendum enim vehementer est, in tali casu, ne accessus ipse mulieris ad illum concupiscentiæ flammam in eo accendat; et postea, cognito consensu pœnitentis interno in peccatum, eandem ad novos libidinis conatus inducat. *Ituriaga, t. 4, cas. 4.*

621. — *Hinc resolves*: 1º Si Sacerdos aliquis muliere ebria vel dormiente ad libidinem explendam uteretur, non propterea jurisdictionem ad illam absolvendam amitteret, quia neque ebria, neque dormiens ut complex formaliter haberetur.

Si Sacerdos induceret feminam ad credendum, nullum esse peccatum si turpiter ab ipso tangi se sineret, et ea, ab ipso decepta, bona fide se turpiter tangi pateretur, quin formaliter peccaret, non esset complex, et ab eo Sacerdote de aliis absolvi posset.

## CASUS XVIII.

## ABSOLUTIO COMPLICIS 5°.

1° ROMARICUS, Sacerdos, peccato turpi cum RUTILIA patrato, sciens se eam absolvere non posse quin excommunicationem Papæ reservatam incurrat, eandem ad alium dimittit a quo absolvi queat; sed sedulo admonet ut, absolutione recepta, ad ipsum redeat, quia mirarentur multi et confabularentur si apud alium confiteretur, ac in peccati patrati suspicionem facile venirent; et insuper, quia nimium foret incommodum, si vicibus singulis ad alias parochias sat distantes pergere deberet.

2° JULIA, impudice cum Parocho conversata, in gravem morbum incidit. Sciebat illa se a complice suo absolvi non posse, dum facile alius Sacerdos advocari posset. Vaferrima mulier, ne turpitudinem suam alteri detegeret, hac industria usa est: Parochum ociosius advocat, ad sacrum Viaticum ministrandum, perinde ac si ab alio absoluta fuisset. Parochus doli ignarus illico ei obtemperat. Tunc ante Communionem JULIA ei confitetur, et ab ipso, velut in articulo mortis, bona fide absolvitur.

HINC:

QUÆR. 1° *An complex in materia turpi semel absolutus, Sacerdoti socio criminis confiteri possit, et an conveniat ut ei confiteatur?*

2° *Quid de rationibus a ROMARICO adductis?*

3° *An JULIA valide absolvi potuerit in secundo casu?*

SOLUTIO:

622. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs.* 1° Pœnitens complex, semel a peccato complicitatis ab alio Sacerdote absolutus, valide a Sacerdote complice absolvi potest. Ratio est, quia Sacerdos complex tantum jurisdictione in hunc pœnitentem caret, ob peccatum cujus ipse fuit particeps. Ergo, deletio illo peccato per absolutionem ab alio impertitam, jam cessat prohibitio, et jurisdictio reviviscit. *S. Lig. n. 555, et alii communiter.*

2° Non convenit tamen ut pœnitens, neque postea, illum Sacerdotem adeat, ob periculum consensus novi, saltem interni, ex utriusque parte. Id etiam requirit honor et reverentia Sacramento debita, nisi aliter fieri nequeat. *V. Comp. n. 387. — Gousset, n. 489.*

623. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quærs.* Discriminandæ sedulo sunt illæ rationes a ROMARICO adductæ, quia facile fucum sibi facere potest et moveri secreta libidine, vel saltem affectu naturali immoderato ac proinde periculoso ad mulierem alliciendam et sibi devinciendam. Igitur a cauda serpentina sedulo caveat. Nihilominus firmæ esse possunt aliquando præfatæ rationes

Hinc ultima solutio a diversis circumstantiis pendet. Sed curandum est ut mulier saltem sæpius alium Confessarium adeat, et quam brevissime et rarissime complici confiteatur.

624. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quærs.* JULIA male egit et graviter peccavit sic dolose agendo, ut a complice suo absolveretur: nihilominus, si bona fide id fecerit, vel si, præsentem jam Parocho, ipsam de hac sacrilega fraude pœnituerit, et reapse urgeat mortis articulus, valide a socio peccati sui absolvi potuit, quia Sacerdos tunc amissam jurisdictionem recuperat.

Ita *Collet*, editor *Pontas*, ad *calcem t. 2*, ubi refert varios casus ab auctore italico conscriptos, *verbo Absolution*, *cas. 26 (1)*.

## CASUS XIX.

## ABSOLUTIO COMPLICIS 6°.

1° GELINA, meretrix, quæ cum VALERIO Sacerdote turpiter egerat, pessimam vitam ex imo corde detestando, ad bonam frugem sincere convertitur. Confessionem diligentem totius vitæ apud ALBERTUM instituit; sed peccatum cum VALERIO commissum ex innoxia oblivione prætermittit. Subinde complici confitetur, ipsique peccatum illud declarat et ab eo absolvitur.

2° THERESIA, repentino morbo correpta, jamjam moritura videtur. Adstat FLAVIANUS, Sacerdos suspensus, imo excommunicatus, ad eam absolvendam paratus; huic locum eripit ALBINUS, THERESIE complex in peccato turpi, et confessionem moribundæ excipit, eamque absolvit.

HINC:

QUÆR. 1° *An VALERIUS in primo casu GELINAM, complicem suam, valide absolverit a peccato complicitatis ex oblivione omisso in confessione penes alium facta?*

2° *Quis e duobus Sacerdotibus præferendus in secundo casu? An complex, vel excommunicatus?*

3° *An vero censuram effugisset ALBINUS, si loco FLAVIANI indèbite accepto, complicitate audita confessione, ipsum facti pœnituisset, et deinde tamen ob circumstantiam inchoatæ confessionis absolvisset?*

SOLUTIO:

625. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs.* VALERIUS invalide GELINAM absolvit, et, si postea pluries iterum absolverit, omnes absolutiones illi impertitæ invalidæ et irritæ sunt. Ratio est, quia, licet GELINA apud alium jam confessâ

(1) Ibi addit *Collet* mulierem hanc a Sacerdote hortandam esse ad pœnitentiam, et ab eo absolvendam.

« Le malheureux prêtre dont il s'agit doit porter la malade à demander pardon de « son indigne supercherie, et après cela l'absoudre. Ce ne sera pas alors la fraude qui « lui servira, mais la juste douleur d'en avoir usé, jointe à un danger prochain de « mort. »

fuerit, non fuit tamen *directe* absoluta a peccato complicitatis, siquidem illius oblita est. Remanet enim peccatum illud materia necessaria potestati clavium apud judicem competentem subjicienda, ad remissionem *directam* ab illo obtinendam. Nam causa, qua jurisdictionis Sacerdoti complici adempta fuit, est ipsum complicitatis crimen. Ergo, quamdiu illud crimen durat, jurisdictionis privatio necessario etiam perseverat. Atqui in casu crimen complicitatis perdurat, ratione obligationis illud confitendi judici competentis, qualis non est VALERIUS. Ergo... *Ituriaga, t. 5, cas. 48.*

626. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* Per se Sacerdos suspensus vel etiam excommunicatus omnino fuit præferendus; imo, illo præsentem, Sacerdos complex minime moribundam absolvere potest; et si absolvat, excommunicationem incurrit. Ratio eruitur ex ipsis verbis Bullæ, in qua dicitur complicem non posse socium criminis absolvere, nisi in articulo mortis, et deficiente tunc *quocumque alio Sacerdote* qui Confessarii munus obire possit, vel nisi adsit periculum infamiæ, modo curet omnino ut periculum illud removeat, et *alteri cuilibet Sacerdoti* locus pateat. Porro verba *quicumque alius, alter quilibet* sunt generalia, et iis utuntur legislatores, cum omnes et singulos, nullo prorsus excepto, sub lege complecti intendunt. Neque obstat quod Sacerdos suspensus vel excommunicatus jurisdictione careat, quia pro casu mortis facultate absolvendi minime destituitur juxta omnes. Ergo... *Ituriaga, t. 5, cas. 50.*

627. — Dixi *per se*, quia, præsentem excommunicato *publico*, complex valide et licite absolveret, si secus periculum infamiæ publicæ aut scandalosi secuturum esset. Periculum autem illud facile evenire posset, si Sacerdos complex excommunicato locum cederet: hoc enim esset argumentum non obscurum turpitudinis suæ præbere. Ergo, si FLAVIANUS fuerit publice *suspensus* vel *excommunicatus*, ALBINUS locum ei præripere potuit quin excommunicationem incurreret.

628. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* Tunc censuram effugisset. Etenim:

1<sup>o</sup> Non incurrisset pœnam pro sola confessione incepta, quia non incurritur illa pœna nisi confessio absolute compleatur, ut dictum est supra, *casu 14, in Resp. ad 3<sup>m</sup> Quæst. n. 613.*

2<sup>o</sup> Neque incurrisset absolvendo post mutatam voluntatem in melius et contritionem de illo peccato elicita; nam nemo incurrit excommunicationem per actum qui ex una parte omitti amplius non potest, et ex altera parte omni culpa caret, imo factus est obligatorius. Etenim tunc incurritur excommunicatio quando sine ulla necessitate absolutio a complice impertitur. At ALBINUS, audita THERESIÆ confessione, eam absolvere cogitur; ergo excommunicationem non incurrit. *Ituriaga, t. 5, cas. 50.*

## CASUS XX.

### ABSOLUTIO COMPLICIS 7<sup>o</sup>.

LUCIANA, ROMANI Sacerdotis in libidine socia, repentino morbo correpta, semianimis corruens Sacerdotem postulat, et voce statim destituitur. Adstat illico ROMANUS, cui interroganti, nutibus illa respondet. Con-

tigit autem ut paulo post sublevaretur LUCIANA et melius se haberet. Tunc compertum est, illud quod apoplexia apparuerat, merum fuisse deliquium. Nescit autem ROMANUS, an inceptam confessionem LUCIANÆ perficere possit? Quocirca hæret dubius et anceps inter utramque partem titubans. Tandem absolutionem impertire statuit.

HINC:

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An valida fuisset absolutio, si ROMANUS LUCIANAM in deliquio versantem absolvisset?*

2<sup>o</sup> *An ROMANUS, transacto deliquio, potuerit LUCIANAM absolvere?*

3<sup>o</sup> *An ROMANUS, complice in deliquio absoluta, ejus confessionem ratione integritatis perficere potuerit?*

SOLUTIO:

629. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst. Affirmative.* Ratio est, quia, ut Sacerdos complex jurisdictione potatur, sufficit ut iudicium probabile ferat de mortis periculo complicitatis, adeo ut ministerium suum prudenter exercent haud secus ac si de alio quolibet ægroto agatur. Quid enim faceret Sacerdos quando deprehendit signa quæ mortem imminere persuadent? Fieri quidem potest ut indicia illa sint æquivoca, sed etiam fieri potest ut sint indicia mortis vicinæ. Quid ergo ROMANUS? Quid alius Sacerdos quilibet in tanta animi fluctuatione? Nonne confessionem excipiet et absolvit? Numquid, in dubio, pœnitens periculo damnationis exponendus erit? Minime gentium. Non potuit enim talis esse mens Pontificis, qui animæ periclitanti succurrere voluit. Ast quomodo absolvere debet? An absolute, vel conditionaliter? *Absolute*, quia certa est jurisdictionis, licet dubium sit periculum. Pontifex enim non intendit jurisdictionem restringere ad certum mortis casum, siquidem Sacerdotis ministerium moraliter, scilicet humano modo, exercendum est. Porro sæpe valde difficile est ut homines mortem certam imminere sciant, etiam quando proxima est. *Ituriaga, t. 5, cas. 49.*

630. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst. Affirmative.* Ratio est, quia, quando confessionem audire inceptum, id tantum ex jurisdictione a Pontifice habita facere potuit. Atqui jurisdictionis valens tempore inchoatæ confessionis perdurat donec pœnitens absolvatur; nam collata est pro confessione peragenda: non agitur autem confessio, nisi ad complementum deducatur. Sicut enim morte delegantis non cessat jurisdictionis relative ad ea quæ jam sunt incepta, ut ex Jure can. constat; ita etiam in foro interno, ob rationis paritatem, tamdiu jurisdictionis permanere censetur, quamdiu confessio inchoata per absolutionem completa non fuerit. Alia ratio desumitur ex incommodo maximo quod sequeretur, si pœnitens confessionem apud alium iterare deberet; hoc enim quam maxime ab Ecclesiæ benignitate alienum est. *Ituriaga, ibid.*

631. — *Objicies:* Elapso tempore jurisdictionis, Confessarius invalide absolvit; ergo a pari in casu præsentem ROMANUS absolvere nequit, quia elapsus est casus jurisdictionis, siquidem pro solo mortis articulo approbatus est.